

3

*De definitionibus huius artis, & de planctu naturæ, & quid
sit theorica, & quid practica.*

C A P. I.

NATURA realia stantia in suis primordialibus & succedentibus principiis dant noticiam & causam cognoscendi naturam corporum, & mediorum, ac extremitatum cognitarum, quæ sunt causa veræ permutationis ipsorum & transmutationis, secundum ipsorum radices, in forma spherica & specie permanente per dispositiones suas, in quantum sunt permutable & in toto transmutabiles in veram formam utilem perfectorum, essentiam conservando in quantum est possibile, ipsa ducere ad supremum & perfectum temperamentum. Sed in hoc libro cum in discontinuatione loquimur physica, mandatum habemus de magistra domina naturæ. Quia ipsa nobis manifestè apparuit, & sua opera nobis aperuit, & aperta ostendit. Ideo flecto & gemendo contra nos clamando dixit. Heu quid ammodo faciam, quoniam instrumenta mea mihi auferre & tollere conantur, & secreta mea deprædari, & disco operire me volunt. Et illa quæ formavi per licentiam dei & magistri mei, ad mortem volunt me expedire. Ille est dolor, quem domina dixit natura coram suo presbytero, genuo atque lugeo: & verè tam profundè flebat, quod nullum erat cor illam videns, quin compassione moveretur, ac ipsius dolore à fletu retardaretur. Nam tantus eius corporis dolor erat, quod usque ad spasmus ducta fuit propter dolorem & displicentiam, quam habebat propter opera bona, quæ in hoc mundo fecerat, a deo quòd ea dimittere volebat, nec ea amplius facere curabat, dum tamen licentiam à deo magistro suo posset obtinere, cum eum requisivisset super illo. Et ob hoc mandatum suscepimus, quòd sua instrumenta habemus secretare, & custodire à manibus inimicorum suorum. Et hæc omnia in secundo libro declarabimus, si intrare poteris. Et ideo iste liber primus divisus est & partitus in quinque partes, & quinque divisiones, per generalia capitula.

Cum autem huius partis philosophiæ non possit tradi practica sine theorica præcedente, dicimus quòd theorica est in parte illa, in qua dispositiones transmutabilium & mutabilium corporum ad temperamentum docentur, & demonstrantur in tanto, quantum est necessarium ad perfectionem nostri

A 2